



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 55. Papa a Rege ad hujus caussæ Judices delegandos rogatus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.  
A. C. 1469.

§. LV.

*Papa a Rege ad hujus causæ Judices delegandos rogatus.*

Enimvero, ne Rex Cardinalem Romanum transmitti pateretur, gravissima obstabat ratio, quam Pontifici his verbis exposuit: Gallorum animi in illis Provinciis, quas reus pertransire deberet, tam vehementi ira accensi sunt, ut nulla satellitum vi prohiberi possent, quo minus illum tanquam civilis belli auctorem membratim discerperent. Cum autem Paulus II. non ita pridem Cardinalium immunitatem novis favoribus auxisset, hinc nimis acerbum legi recens conditæ vulnus fuisset inflictum, si Papa eam labefactari permisisset quoad præcipuum illius caput, quod aliunde sat aptum erat, ut Regum clientibus purpuræ desiderium inspiraret, vel maxime ex eo, quod ad hanc dignitatem evecti duntaxat subjici possint iudicio, cui ceteri Cardinales eorum confratres in pleno Patrum Senatu præsunt. Quare summus Pontifex eorum privilegia integre servari voluit, cum vero haud majus firmitatis robur illis accederet, quam si ea primo in Galliis ad usum deducerentur, ubi semel Rege Christianissimo per suam submissionem ea approbante, ceteri omnes Christiani Orbis

Orbis Principes obsequium suum illis de-  
 tractare minime ausuri credebantur, ideo Sæcul. XV.  
 A.C.1469.  
 hac super re frequens habebatur consul-  
 tatio, tandem vero decretum, quod Pon-  
 tificis Regis voluntati hac in re plene ob-  
 sequi haud possit.

## §. LVI.

*Responsum Papæ ad Regem.*

Igitur Pontifex ad Ludovicum Regem  
 rescripsit, quod lubenter eidem grati-  
 ficari velit, atque ad ejus preces Romæ  
 quosdam iudices a se electos Avenionem  
 missurus sit, qui ibidem ex delegata po-  
 testate iudicii acta contra Balvum Car-  
 dinalem, & Virodunensem Episcopum  
 instruant; si vero Avenionensis civitas  
 Regi minus grata foret, Papa eidem in  
 Galliis tres urbis proposuit, quæ suis E-  
 piscopis tam in Sacra, quam profana  
 jurisdictione pleno jure subjectæ essent,  
 sique Rex ex illis unam selegerit, se cu-  
 raturum pollicebatur Pontifex, ut ad il-  
 lam Rei quantocius deferantur, ibidem-  
 que, donec absolutum esset iudicium,  
 detineantur. Præterea Papa a Rege po-  
 stulabat, ut tam ipsis, quam aliis eorum  
 nomine plena sese defendendi libertas  
 concedatur, Iudices vero delegati omni-  
 bus ex juris ordine discussis acta usque  
 ad sententiam definitivam exclusive in-  
 struant,